



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 1. Quaerenda veritas fugienda vanitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

adversa omnia tolerare. Temperantiæ actus eliciuntur, quia mens orantis à terrenis & corporeis abhorrens, cœli delicias degustat. Donâ quoque Spiritûs sancti vim suam exerunt, quia intellectus de æternis illuminatur, Dei sapientiâ fruuntur, ipsique Deo appropinquans omnes creaturas scientiæ dono pro nihilo habet: tum luce ube-

riori perfusus in rerum agendarum dispositione per donam consilii non fallitur: ad orandum pro aliis pietate impellitur; Divinæ Majestatis celsitudine apprehensâ ejus timorem concipit, & ad multa pro Christo toleranda fortitudinè roboratur. Multis ergò virtutibus fulget, qui multum orationi incumbit.

P A R S II.

De moderandis animi affectionibus, & de studio virtutum.

§. I.

Querenda veritas, fugienda vanitas.

Veritatem omnes desiderant, omnes commendant, sed ubi ea sit, pauci cognoscunt: nam si scirent ubi esset, nihil amplius quærerent, nihil præter illam amarent. Et quidem in rebus mortalibus eam non esse evidens est. Quidquid enim in aliquo loco est, nullo modo permanere potest, si illud, in quo est, non permaneat: mortalia autem esse desinunt, quia intereunt, ac propterea in illis non est veritas. Quærenda igitur est in rebus immortalibus, quæ verè sunt, & in æternum futuræ sunt: quærenda in virtute, quæ nihil aliud est, quam æqualitas vitæ in omnibus veritati consentiens, exclusâ vanitate, & rerum pereuntium cohibito appetitu. Veritati enim congruit homo, cum animi motus ratio regit, & spiritus Dei in eo dominatur: Quod si cupiditatum tyrannico imperio subit, à veritate in vanitatem desluit, & variis, ac contrariis perturbationibus agitur, hinc timore, inde desiderio, hinc anxietate, inde inani lætitiâ; hinc rei amissæ dolore, hinc ardore adipiscendi quæ non habet; hinc acceptæ injuriæ cruciati, inde studio vindicandæ. Hi sunt videlicet omnium malorum fontes, quæ miserrimam animam vexant, vanitas & voluptas. Oriuntur ex vanitate eorum omnium, quæ propriam excellentiam fovere possunt, ardentissimum desiderium, magna sui æstimatio, aliorumque contemptus, & aversio à veritate. Ex voluptate propensio illa procedit, quâ fertur homo ad cibum, & potum, ad ludos, & relaxationes, & ad reliqua omnia, quæ corpo-

ri, & spiritui rebus terrenis occupato grata, & jucunda sunt. Hinc evagatio continua, & cordis effusio ad exteriora, quibus anima Deo vacua implere se studens, tota est in nugis & vanitatibus mundi, quærens homines, cum quibus recreetur, & confabuletur, & à quibus laudetur in desideriis, & vanitatibus suis. Hæc verò sunt, quæ homini carnali exosam reddunt Divinam Legem, & Evangelicam perfectionem. Evangelium siquidem nihil magis commendat, quam humilitatem: at natura corrupta semper inclinatur ad superbiam. Evangelium prædicat penitentiam, à qua homo maximè abhorret. Fides igitur est necessaria, quæ docet nos omnem veritatem; & hæc est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra. Filius Dei Patri consubstantialis, ut amorem nostrum à rebus terrenis avellendum esse doceret, fidem prædicationi suæ altissimâ virtutum exercitatione conciliavit. Divitias homines appetunt; pauper esse voluit: honoribus, & imperiis inhiant; abscondit se ne fieret Rex: contumelias intolerabiles esse arbitrantur; omne genus injuriarum sustinuit: calumnias detestantur; innocens damnari voluit. Vita ejus disciplina morum fuit, nec ullum à nobis peccatum committi potest, nisi cum appetimus quæ ille contempsit; aut ea fugimus, quæ ille sustinuit. Stultus igitur est qui vitam beatam in iis positam putat, quæ spernenda esse Christus docuit.